

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

pturus esset, in qua nunquam futurum est mereri, ut eo honore dignareris, ad quem literarum tuarum beneficio evecta sum. Quas quoties alicui ostentavero, non mediocrem inde famæ meæ laudem acceleram intelligo, quæ nulla alia magis via illustrari potuit, quam per literas tuas, quid enim cum illo honore comparandum, quo digna habita sum, quam totius Orbis decus suis literis dignatus sit? Quare ut mihi rem longe supra meritum meum benignitas tua contulerit, ita me sane pro tam eximio munere dignis agendis gratiis nimis imparem jure confiteor. Quod pictoris tibi adventus tantæ voluptati fuit, illo nomine, quod utriusque mei parentis nostrumque omnium effigiem depictam detulerit, ingentibus cum gratiis libenter agnoscimus, nihil ardentius expertentes, quam ut Præceptorem nostrum, cuius eruditis laboribus, quicquid bonarum literarum imbibemus, acceptum habemus, fidelemque patris veteremq; amicum coram aliquando colloqui ac contemplari nobis licet. Vale. Salutat te ex animo D. mater, item totus tuus maritus meus ac frater, ambæ sorores meæ plurimam tibi salutem mittunt. IIII. die Novembris.

## XII.

Erasmo Roterodamo, doctissimo, Urbanus Regius,  
Theologo Theologus. S. D.

**T**um ad nos reditum, Erasme Doctissime, Germaniæ imo Christianis omnibus gratulor, haud secus enim te expectavimus ac solem quendam, qui tenebras nostræ noctis sit discussurus. Tenebras inquam internas, eoque periculosissimas. Nam te renascentis Theologiæ autorem primum, nostris temporibus qui non fatetur, & mendax est & ingratus. Primus tu à turbidissimis scholasticorum lacunis ad fontem sacrarum literarum revocasti Theologos, idque eâ modestia, ut admonitione tam salubri tamque necessaria ne inimici quidem sint offensi, præter nescio quas noctuas abominabiles ac miserabiles potius quam odio habendas. Primo omnium ad Theologos veteres hortabar, à quibus dein ceu rivulis ad Canonicas scripturas fontem limpidissimum nos perduxisti, denique effecisti tantum vigiliis tuis doctissimis, ut nullum penè studiorum genus jam feliciori pede procedat quam sacrosancta Theologia. Rem sane admirabilem videmus, & literas humaniores & sacras sic connecti, ut simul citra tumultum condiscantur, quæ antè indoctorum machinationibus erant plusquam hostes, tuis hoc omne lucubrationibus acceptum ferimus, qui omnes movisti lapidem, ut pro inani philosophia in scholis theologorum cœlestis philosophia crucis tandem nosceretur. Gaude & triumpha, Erasme, co-

gnor.

gnosci cœpit, nec apud literatos duntaxat sed & laicos, qui persuasi sunt Paracelsi tua, ad omnes Christianos pertinere sacras literas. Nuper matronam audi vi de lege & Evangelio ex Paulo ad Rom. doctius multo differentem, quam olim magni illi MAGISTRI nostri posuerint. Sic tu tanquam classico universum orbem ad Christi philosophiam excitasti: ad instaurandam theologiam natum te nihil dubitamus, proin fato tuo obsequere, Augustinum atque Hierarium doctissima manu tua purgato, ut à veris adulterina dinoscamus, quod annis superioribus felicissime præstisti in Hieronymo. Ecclesia Augustana, cui sesquiannum Christum prædicavi, pro te orat assidue, ad quam propediem revertar. Qui has tibi reddidit, nobilis est, tui ob raras ingenii dotes studiosissimus, et si ipse indoctus, huic si vacat ad me vel verbum da perferendum. Vale Theologorum ac omnis eruditionis princeps. Ex Argona. 4. Januarii, Anno M D X X I I.

Michael Hümelbergius, conterraneus meus te salutat millies.

## XIII.

**S.** P. Nauctus hunc, qui ait se venturum ad te, licet nihil daret temporis scribendi, volui tibi tamen per literas dicere salutem. Tua Apologia in nebulones Parisienses pervenit ad nos. Bone DEUS, quantum omnibus risum movet stulticia illorum Doctorum sine doctrina, qui ausi sint tam belle querere nodum in scirpo! Tu igitur gaude, qui in portu navigas. Nam isticantes morderent, si possent. Nos bene valemus. Noster D. Morus nuper se abdicavit illo magno Magistratu, quem gerebat, ut sic se allevaret, & senectam ætatem quietius ageret. Fuit nuper nobiscum Bibelius, qui rem meam nautiter curavit, illum docui de rebus meis & quemadmodum revocor in Italianam, quapropter quod toties scripsi tandem aliquando te visam, nam consulto id extraho, cum Erasmus non sit ante iturus ad campos Elysiacos, quam suum viderit Poly. Vale Londini, XIX. Junii, 1532.

T. Poly.

## XIV.

**S.** Non est, ut verbis possim assequi, Doctiss. Erasme, quantam apud Principem Georgium, Saxonæ Ducem, gratiam iniveris ista tua Hyperaspiste. Omnia enim inibi ex animi ipsius sententia ita in Lutherum scripta sunt, ut melius optari non pos-